

INDEX
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLX

A DIE XVI M. APRILIS


PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE HYPERIDIS
LAUDATIONE FUNEBRI

F. V. FRITZSCHII

PRAEFATUS EST.

LITERIS ADLERIANIS.



Pindarum, vatem Thebanum, ad extremam senectutem sanctissime vixisse accepimus, ita ut illud multarum virtutum exemplum Vobis quoque, Commilitones, proponere ad imitandum liceat. Hic igitur poeta quum cives suos bene audire cuperet, novas tamen res moliri eos noluit, veritus opinor, ne plus invidiae turbulenta civitas subiret, quam tranquilla. Immo quum ipse in vita humana divina studia unice coluit (nam divino quodam spiritu afflatum, si quem alium poetam, cecinisse videmus Pindarum), tum etiam civibus suis literarum studium commendavit, sperans hoc maxime modo antiquum patriae suae opprobrium deletum iri. Ac Pindari quidem sublimem musam commendare vix audeas, audeas Horatium; nec si cothurni minus apti videbuntur, ideo etiam socci ad pedem erunt inhabiles. Comoedia enim Plautina et Terentiana non stomachum movet sed risum, quem perdere est et operam et oleum perdere. Quo magis nobis omnibus cavendum erit, ne vel hoc tempore risum penitus perdidisse videamur. Verum de poetis veteribus et scripsimus multa saepe et postea scribemus; nunc ad eum, qui poetae finitimus et in multis ornandi generibus paene par est, ad oratorem veniamus.

Paucis abhinc annis an mensibus laudationis funebris ab Hyperide habitae maxima pars in volumine papyraceo circa Thebas Aegyptias ab H. Stobarto inventa et museo Britannico illata est. Cujus equidem orationis quatuor editionibus usus sum, principe C. Babingtoni (Cantabrigiae a. 1858), ed. Lugdunensi C. G. Cobeti, ed. L. Kayseri (in Jahnii *Annal. philol.* Vol. LXXVII Fasc. 6 p. 369 sqq.), postremo H. Saupprii editione (in Leutschii nostri *Philologo* a. 1859 Supplem. Vol. I Fasc. 1 p. 5 sqq.). Erat autem haec papyrus, quum in Babingtoni manus perveniret, in multas dilapsa lacinias, haud dissimiles illas tribus fragmentis orationis pro Lycophrone p. 21 sq. ed. Caesaris. Quodsi quis ipsius Babingtoni (Introduct. p. IX sq.) enarrationem attente legerit: a Babingtono et magno acumine nec sine labore quodam continuam orationem ex istis pannis feliciter restitutam esse judicabit. De qua re non Kaysero (l. l. p. 369 sq.) potius, quam Saupprio (l. l. p. 6 sq.) adsentior, qui hanc Babingtoni operam minime levem fuisse ostendit laudata editoris principis perspicacitate. Jam ipsa papyrus Babingtono (Introduct. p. X) et Saupprio (l. l. p. 7) initio secundi post Christum n. saeculi vel adeo circa finem primi, Cobeto autem (l. l. p. 1 et p. 16 atque p. 26) ante XVI saecula i. e. tertio demum saeculo post Ch. n. videtur conscripta esse. Quodsi e mendorum frequentia, quibus haec papyrus et plurimis et saepe maximis referta est, tempora metiri licet, Cobetum ego potissimum sequor auctorem. Sed ex hac vitiorum multitudine, quibus tam antiqua papyrus obsita est, mirus ad philologos, juvenes praesertim redundare fructus poterit. Tandem enim incipient criticorum principum conjecturas pervestigare, desinent aliquando primum quodque suae editionis vitium audacter defendere, discent pro vulgata eaque saepe

falsa antiquam ubique lectionem quaerere, quaesitam explorare, exploratam si certum fuerit mendum nunc leni nunc liberiore manu persanare. Quae libertas ne in licentiam vertat, alia ejusdem Hyperidis papyro cautum est, ex qua jam a. 1853 orationes pro Euxenippo et pro Lycophrone ab eodem Babingtono primum editae sunt. Hunc enim codicem, cujus aetatem accuratius definire vix ausim, epitaphii tamen codice et antiquiorem et a vitiis multo puriorem esse facile apparet. Vellem igitur editores codicis sui virtutem eo temperamento agnoscerent, quo in Plauto F. Ritschlii Ambrosiani sui veras scripturas tueri solet, malas sine ulla dubitatione abjicere.

At vero de hoc duarum, quas dixi, orationum codice a plerisque criticis, quibus Caesar Praef. p. V adsensus est, minus recte judicari video. Hi ita censent, codicem optime esse scriptum, raro erroribus deformatum, pauca habere menda, quae non in ipso libro ab altera manu correctae sint, exceptis denique in quibus papyrus laesa sit, nonnulla tantum vitia relicta esse orthographici fere generis et quae orta sint e syllaba vel male iterata vel ob eandem formam omissa. Quibus omnibus unus in Mnemosyne II p. 310 sqq. Cobetus sese opposuit oratione pro Euxenippo eo consilio paucis recognita, ut multa primae quoque manus menda restare fides fieret. Huic caeteri, velut Caesar Praef. p. IV ita respondent, partim ut nota pro novis afferri mirentur et sic exclament: *τοὐτὶ μὲν ἤδειν, πρὶν Κόβητον γεγενῆναι*, partim ut „atticismum Cobetianum“ naviter irrideant. Sane jam prius constitit, Aristophanem et Platonem aoristo *ἐκλίην* usos esse, non priore eoque Homérico (ut Odyss. δ', 213) *ἐκλίθην*, ad quem attici paulo post Xenophontem redisse videntur. At Cobetus (l. l. et in N. L. p. 340, p. 602 et p. 778) centenis locis temere mutatis et in Hyperide pro Euxen. p. 7 et p. 9 ed. Caes. contra papyrus *ἐγκατακλινῆναι* atque *κατακλινέντα* conjecit et Platonice formam Luciano Plutarchoque inepte obtrusit. Neque ideo tamen „atticismum Cobetianum“ ne in Hyperide quidem prorsus contemno, sed Pro Euxen. p. 13 formam *καθέστακα* Hyperide indignam esse tum Cobeto l. l. tum Meinekio (Philologi V. XIV F. 1 p. 32) adsentior. Verum etsi Cobetum ipsum commisisse puto, ut ei primae manus vitia monstranti nemo accredere posset (pleraeque enim hujus critici de orationis illius locis conjecturae aut leves sunt aut vanae et inanes:) alia tamen eaque aperta primae manus menda adhuc latuisse miror, quae satis multa etiam orationibus pro Euxenippo et pro Lycophrone inesse reperta interim epitaphii papyrus argumento est. Quamobrem ut dicam quod res est, praeterquam quod supplementorum haud exigua pars probari nequit, ne de primae quidem manus fide illarum orationum pertractatio critica finita est, sed vere incipit, ideo quod nunc demum alteram papyrus ad alterius normam dirigere licet. Etenim ad epitaphii papyrus recte emendandam nobili interdum R. Benteji audacia opus est, ad caeteras autem orationes corrigendas cautione atque prudentia R. Porsoni. Quaeritur, utrum codices vetusti, ex quibus caeteri scriptores tanquam ex fonte manarunt, epitaphii papyro similes fuerint, an orationis pro Euxenippo. De qua re sic habendum est, non modo aliam aliorum scriptorum, verum etiam in uno scriptore aliorum librorum aliam esse rationem. In universum tamen ita sentio, plerosque hujusmodi codices cum epitaphii papyro conferri debere, ita ut plerique scriptores

prosaici aliquanto magis corrupti sint, quam vulgo existimantur. Nam si ipsi partim poetae, in quibus metra vulgaria longius a vero scribam aberrare vetabant, tam foede et crudeliter habiti sunt, quam multis in fabulis Aeschylus vel in plerisque Plautus: quid tandem pedestribus scriptoribus accidisse putabimus, in quibus effrenata librorum libido nullo plane vinculo coerceretur? Quod ad Lucianum attinet, ante hos triginta annos hunc certe scriptorem demonstrasse videor in plurimis dialogis turpissime depravatum esse. Posuit hoc idem Cobetus in „Variarum Lectionum“ volumine. Simulavit autem se id quod a me didicit, ipsum solum vidisse jurabitque fortassis, jam in utero sese, priusquam ipse nasceretur, Luciani dialogos pro mendosissimis habuisse. Est mihi tanti, dummodo veritas magis magisque eluceat. Omnino philologos, qui Lucianum ab me mox editum iri putant, jam nunc monitos volo, ne inutilem virorum doctorum insectationem a nobis expectent. Quanquam Cobetus aliorum studia Luciana mire primum eo retardavit, quod de Venetorum quos ipse excussit codicum scripturis perpaucas edidit, reliquas autem retinuit, tum quod saepe ita locutus est, ut plane nescias utrum codicem sequatur an conjecturam. Atqui longe aliter de conjectura judicamus, aliter de codicis lectione antiqui. Veruntamen non eodem animo viri esse solemus, quo fuimus adolescentes. Hi enim contentionis saepe cupidiores sunt, quam veritatis, suis viribus mire confidunt, cum summo quoque viro de principatu audacter decertant, parem denique ferre possunt neminem. Quodsi alium in suo scriptore criticum et eum hominem acutum atque litigiosum competitorem nacti fuerint, tum vero talis adversarius quasi ignis incendio accedit. Ita ego quoque si juvenis essem, cum C. G. Cobeto, qui nuper alios Luciani locos feliciter correxit, alios valde depravavit, acerrime contenderem. At nunc, ut virum decet ad lenitatem propensum et erga omnes ferme, aequos iniquos, aequissimum, de Luciano meo Batavum T. Hemsterhusi aemulatorem perbene mereri facile patior neque de Cobeti laudibus quidquam detractum volo. Illud unum reprehendo, quod Cobetus omnes fere Germaniae philologos, imprimisque criticos nostros Cobeto majores tanta acerbitate objurgare consuevit. Attamen ut olim Catonem minorem, ita profecto etiam Cobetum „nunc et animi quodam impetu concitatum, et vi naturae atque ingenii elatum, et recentibus grammaticae studiis flagrantem jam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit.“

Sed unde huc digressa est, ad Hyperidis *Ἐπιτάφιον* oratio redeat. In scriptore recens invento illud ante omnia cognoscendum est, quanta principis editoris fides esse videatur. Praeterquam enim quod Simonides quidam nuper Punica fraude usus Uranii eum qui nullus unquam fuit codicem impudenter ementitus est: magna horum editorum pars codicem suum quamvis antiquum graeca fide cauponari malunt quam ex fide bona totum conferre. Veluti Minoides Menas Philostrati de arte gymnastica codicem pessime legit atque adeo plurima sua ipsius manu inseruit, id quod ab Darembergio in hujus libelli editione (Parisiis, 1858) luculente demonstratum est. Idem Minoides Menas antea Babrii poetae codicem, in quo fabulae insunt Aesopeae, non melius profecto (ne dicam pejus etiam turpiusque) compararat: quam fraudem quamvis a Boissonadio editore principe monstratam (in Praemonitione p. VIII init.) tamen neque C. Lachmannus neque amici ejus odorati sunt, primus vero animadvertit Cobetus

Ad Orat. de arte interpretandi p. 153 sqq., quem virum de hac re unum recte judicasse nunc eos quoque qui graece nesciunt, Philostrati libellus ab eodem Minoide Mena tam male acceptus docere poterit. Verum ut M. Menas in reprehensionem meritam incurrere coepit, ita C. Babingtonus, de cujus viri fide nulla dubitatio esse potest, eximia laudē prosequendus est. Etenim Babingtonus ipsam prope epitaphii papyrum eamque totam, id est exemplum hujus papyri arte lithographica diligentissime expressum in lucem edidit nosque docuit papyrum ipsam, quippe quae nunc museo Britannico contineatur, inspicendi copiam iudicibus idoneis factam esse. Quid quod paullo post apud ipsum Babingtonum Goodwinus papyrum jam denuo inspexit, cujus viri tam levis dissensio est, ut ipsa quoque singularem Babingtoni fidem corroboraverit. Nam quod Cobetus in adnotatione ad Epitaphium passim fore sperat, ut codice iterum excusso aliud quiddam ex eo prodeat: id tametsi non prorsus falso dictum est, minime tamen ulla Babingtoni culpa accidit, sed ipsius vitio papyri. Velut in locis laceris, quibus saepe litera non integra sed tantum pars ejus servata est, Babingtonus literam certam certo exprimit ut per π II papyri, incertam ut (π) semicirculis circumdat. At fieri vix potuit, quin princeps editor coeptam modo ejusmodi literam saepe falso interpretaretur, cujus generis plura exempla vel una Col. XII^{ma} nobis exhibet. Vel versu secundo Babingtonus sibi legere visus est *PATOIET* itemque postea p. 43 Sauppis, qui hinc $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}$ $\tau\omicron\iota\varsigma$ $\gamma[\epsilon\rho\alpha\tau\acute{\epsilon}\rho\omicron\iota\varsigma$ supplevit. At nisi caecutio septima litera non Γ fuit sed primus ductus II literae, ut jam supplendum sit $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}$ $\tau\omicron\iota\varsigma$ $\pi[\rho\epsilon\sigma\beta\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\omicron\iota\varsigma$. Tum initio versus noni Babingtonus legit $\kappa\alpha\lambda\omega\varsigma$ σ , Sauppis autem $\kappa\alpha\lambda\omega\varsigma$ $\omicron$. Immo sexta literula pro primo ductu α literae habenda videtur, loco ita potius suppleto $\kappa\alpha\lambda\omega\varsigma$ $A[\rho\omicron\theta\nu\eta\sigma\kappa\omicron\nu\tau\alpha\varsigma$. Nam ut initium versus octavi *TEAETHS* ostendit, de Atheniensibus iis hic sermo fuerat, qui in bello Lamiaco pro patria cecidissent: quod attice dici solet $\kappa\alpha\lambda\omega\varsigma$ $\acute{\alpha}\pi\omicron\theta\alpha\nu\epsilon\iota\nu$, ut a Xenophonte ap. Stobaeum T. 124, 42, Lycurgo in Leocr. 49, 8, Aeschyl. Choeph. v. 350. Recte enim Horatius: „dulce et decorumst, pro patria mori.“ Alia hujusmodi exempla ex ejusdem columnae versu 13 atque e versibus 23 et 24 depromere possum. Tamen pleraque Babingtonus recte legit, suam quoque totius orationis recensionem addidit, mutila saepius feliciter supplevit, mendosa conjecturis sanare, obscura explicationibus illustrare studuit, prudentem se virum et circumspectum exhibuit, postremo de hac oratione unus omnium optime meritis est. Quem ut omnes videant ab temeritate abhorreere: in locis mutilis quot literarum spatium in codice relictum esse viderit, totidem sibi literas putat supplendas esse; in qua re si quid usquam peccavit, certe in eam peccavit partem, quae est tutior. At Cobetus p. 18 et p. 72 quum columnam XII^{am} vicenorum fuisse versuum conjiceret, unam tamen lineam (32) quatuordecim tantum literis constare jussit toto versu ita suppleto: *ΗΕΠΙΛΕΩΣ[θένους]*. Et hoc quidem codicis nostri auctoritate caret: illud fieri potest, ut aliquando spatium tribus fere literis majus sit quam critici supplementum. Tot enim literarum spatium vacuum scriba, ne quid male omissum videri posset, linea — addita in fine versuum his tantum locis explevit, Col. III, 32; Col. VII, 26 et 30; Col. VIII, 32, denique Col. XI, 6. Praeterea semel (Col. III, 33) hoc ipsum in versus fine spatium iteratione *ΗΑΣΑΝΗΑΣΑΝ* expletum est. Ab his

minores lineae differunt ab novae enuntiationis initio interdum positae, quas p. 54 sq. Sauppius attigit. Quod autem Cobetus p. 19 saepe in codice versus tantum dimidiatos perscribi contendit, id ab ea re quae illo (Col. XII, 32) agitur loco, alienum est. Cadit enim tantummodo in ultimum columnae versum, adde etiam paenultimum, neque a librarii arbitrio suspensum est, sed necessitate expressum. Alia est enim chartae nostrae forma, alia veteris papyri, cuius in extrema columna saepius tantae spatii angustiae sunt, ut prior tantum versus pars inscribi literis possit, altera pars spatio ipso deficiente non possit. In epitaphii papyro columnis extremis hi versus dimidiati leguntur, C. VI, 40; C. VII, 39; C. X 43 et C. XIV, 43 atque 44, in quos versus papyrus tota desinit. Sunt autem hi,

THNKOINHNEAETO. PIA.

TΩNEAAHNΩN

quos versus Cobetus solus p. 7 recte ita legit, τὴν κοινὴν ἐλευθερίαν τῶν Ἑλλήνων, uti profecto in ipsa exstat papyro, in qua post EAEETO. PIA. nihil deest. At Babingtonus p. 25, Sauppius p. 49, Kayser p. 377 quum ea quae de dimidiatis versibus dixi nescirent, quasi ex ipsius scilicet papyri spatio vacuo τὴν κοινὴν ἐλευθερίαν [τὴν] τῶν Ἑλλήνων suppleverunt, qui articulus ne per se quidem ferri potest. Postremo C. XIV, 44 verbis TΩN EAAHNΩN et versum illum et columnam totam scito finitam esse, neque in hac quidem columna ullam ab librario literam adjectam fuisse aut adjici per spatium potuisse. Deinceps autem proximae columnae a XV^{ta} perierunt. Illuc revertor. Secundum Babingtonum is de quo mox plura dicam Cobetus et vir de oratoribus eorumque fragmentis bene meritus Sauppius honoris causa nominandi sunt. Et Cobetus quidem, qui p. 18 unius vitii emendationem ab se „diu et multum“ frustra quaesitam faletur, de nonnullis locis tam bene et cogitato scripsit, ut editio ejus haudquaquam cum pauculis istis conferenda sit, quae idem antea in diariis de oratione pro Euxenippo chartis illusit. Sauppius autem quam modestum hic quoque criticum se praeberit, quum universa ejus recognitio tum p. 53 sq. vitiorum quae huic papyro insint enumeratio declarant. Nusquam Sauppius id ausus est dicere, quod Cobetus p. 1 et saepius confirmavit, hunc quidem codicem „mendis scatere.“ Cum hoc Cobeti iudicio (dicam aperte) nostra ratio magis convenit. Nam videor mihi non pauca menda, quae ne Cobetus quidem nedum caeteri animadverterunt, recte sustulisse. Ac multis fortasse gratum facerem, si jam nunc ea mendorum genera, quae in hac papyro potissimum exstant, accurate describerem. At praeterquam quod vulgaria quaedam genera jam Sauppius p. 53 sq. optime disposita dedit: verendum est, ne isto modo prooemium ipsa prope Hyperidis oratione longius evaderet. Quare unum hic mendorum genus, ad quod solus ante nos Cobetus attendit, satis sit commemorasse. Qui quum vidisset initio orationis pro Euxenippo versum unum incuria neglectum et in ora libri suppletum esse: et in hac et in funebri oratione nonnulla per librariorum festinationem penitus omissa coniecit. Et in epitaphio quidem Cobetus hoc errorum fonte bis saltem bene reperto primum (p. 15) Col. IX, 14 nonnulla excidisse recte vidit, non vidit idem quae desunt, ea post vocem παιδων demum excidisse totumque locum aliter supplendum esse. Tum Col. XIII, 37 post vocem ἀνδρῶν

aliquid deesse Cobetus p. 21 bene perspexit, cuius tamen supplementum, uti recte p. 59 Sauppius, ad sententiam prorsus ineptum est. Ego vero praeterea sex septem epitaphii locis modo unius vocabuli modo plurium malam praetermissionem animadverti: quibus in locis omnibus res adeo manifesta est, ut oculis cerni queat et manu plane teneri. Sed longe utilius fuerit aliquot mendorum genera hic attulisse, quae in Hyperide neque inveniuntur neque omnino in his quidem papyris cogitari possunt. Nam his tam antiquis voluminibus non nova vitia vitiis addita, sed prima vitiorum elementa, neque adultas jam corruptelas verum tunc primum nascentes ubique contineri apparet. Quamobrem primum violenta verborum traiectione abstinendum est, qua eadem in iis scriptoribus, quorum lectio vulgata paucis abhinc saeculis primum exstitit, ut in Luciano nonnunquam utendum esse codices antiqui demonstrant. At in Hyperide bis tantum ad vocum transpositionem quasi ad aram confugi et eam utrobique lenissimam. Tum vero nulla plane in papyris Hyperideis cogitari glossemata possunt. Male igitur Cobetus Pro Euxen. p. 11 ed. Caes. quasi glossemata deleuit verba sanissima: *οὐ προσήκοντα αὐτὴν ἐγκλήματα τῇ πόλει ἐγκαλοῦσαν*. Male idem Cobetus iterum Pro Euxen. p. 13 in verbis: *τίνας οὖν κέραια καὶ εἰς ἀγῶνα καθεύτακα*; verba *καὶ εἰς ἀγῶνα καθεύτακα* omnia expunxit, quum Lightfootus *κατέστησα* caeteris non mutatis recte scripsisset. Pessime vero idem Cobetus ad Epitaphium p. 16 Col. X, 1 *λαμβάνειν* tanquam „scioli interpolationem“ deleuit locumque corruptum porro corripuit, ut jam quae ipse excogitavit, atticismo, historiae et sanae rationi juxta repugnent. Invenit tamen, id quod nollem, qui ducem caecum sequeretur, Sauppius p. 59. Atqui ut in adnotatione declarabo, adspexisse illum Hyperidis locum est correxisse: qui quidem quae certo dixit, ea ipsa a Diodoro Siculo memoriae prodita sunt. Quid quod Cobetus l. l. p. 33 infelicissima conjectura sua tanquam fundamento scilicet novae doctrinae inniti ausus est. Nam p. 31 sqq. serio negare videtur, de quo inter omnes dudum convenit, antiquissimum quemque codicem interpolationibus et glossematis liberrimum, recentissimum quemque iisdem esse solere plenissimum. Sequitur, ut ad ipsam Hyperidis orationem transeam, ad quam sine magna fiducia et cum quadam timiditate accedo. Subvereor enim, ne quod caeteris omnibus hic interdum accidit, idem mihi quoque usu veniat, atque ut in his tenebris Aegyptiacis omnes non solum Hypsaea verum etiam ea, quae nunquam dispicere potest, talpa simus caeciores. Haec hactenus.

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior,** privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam quinque diebus tradet h. VIII; 2) dogmatum historiam senis diebus enarrabit h. IX. Publice theologiam pastorem, legum ecclesiasticarum Mecklenburgicarum ratione habita, tradet binis p. h. horis definiendis. In Seminarii sodalitate catechetica sodalium exercitationes horis constitutis moderari perget.
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O.,** 1) privatim quinque diebus h. IX historiae ecclesiasticae partem alteram enarrabit; 2) privatim quinque diebus h. X theologiam moralem docebit; 3) publice in Seminarii sodalitate homiletica sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., h. t. Decanus,** 1) privatim symbolice sive doctrinam ecclesiarum et sectarum quinque diebus tradet h. XI; 2) privatim epistolas Pauli minores interpretabitur quinque diebus h. XII; 3) publice exercitationes exegeticas moderabitur binis horis definiendis.
- Lic. Joannes Bachmann, P. P. O.,** 1) privatim librum Jobi interpretabitur quinque p. h. hora VIII—IX; 2) privatim V. Ti. theologiam prophetice adumbrabit quinque p. h. scholis h. VII—VIII; 3) publice lectiones Rabbinicas instituet, duce Heilbuti Chrestomathia Rabbinica (Hannov. 1856) bis p. h. horis definiendis.

In ordine juridico.

- D. Fridericus Raspe, P. P. O.,** tradet principia processus iudicii civilis, duce Linde, quater h. X et sexies h. XI.
- D. Otto Mejer, P. P. O.,** quinque per hebdomadam h. XII jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum, h. XI jus criminum commune docebit.
- D. Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O., h. t. Decanus,** sexies h. XI ordinem iudiciorum civilium, et senis scholis h. XII institutiones juris romani profitebitur.

- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O.,** tradet 1) pandectas duodenis per hebd. scholis h. VII et VIII; doctrinam de hereditatibus quinis per hebd. scholis h. XII.
- D. Victor de Meibom, P. P. O.,** 1) jus mercatorium et cambiale quinquies h. IX; 2) historiam juris Germanici quinquies h. X docebit.

- D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke,** 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judicarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce Martino docebit; 3) scholam civilem eamque practicam h. c. moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria commilitonibus offert.

In ordine medico.

- D. Carolus Strempel, P. P. O.,** docebit: 1) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum in cadaveribus demonstrandam quater p. h.; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico more solito moderari perget.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O.,** docebit: 1) encyclopaediam et methodologiam binis p. h. horis; 2) anatomen comparatam senis p. h. horis; 3) exercitationes physiologicas practicas binis p. h. horis.
- D. Carolus Bergmann, P. P. O., h. t. Rector,** 1) anatomes partem alteram; 2) historiam ovi hominis et animalium vertebratorum tradet; 3) exercitationes anatomicas assistente Gronau Prosectore dirigere perget.
- D. Gustavus Veit, P. P. O., h. t. Decanus,** 1) de morbis mulierum binis diebus h. VII disseret; 2) exercitationes practicas in clinico obstetricio quinquies p. h. h. VIII moderabitur.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O.,** 1) de morbis organorum uropoëticorum et de syphilide binis diebus h. IX disseret; 2) exercitationes microscopicas anatomen pathologicam spectantes binis diebus h. IX et 3) exercitationes practicas in clinico medico quaternis diebus h. X et binis diebus h. h. IX et X moderabitur.

- D. Theodorus Ackermann, P. P. E.,** policlinicum medico-chirurgicum quotidie h. XII—I moderabitur.

- D. Joannes Schroeder** tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychi-corum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Augustus Classen ophtalmiatricen ter, chirurgiam generalem quater p. hebd. horis commodis docebit; in nosocomio ophthalmico quotidie hora XII exercitationes practicas moderabitur.

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim 1) binis diebus h. VIII Terenti Phormionem explicabit; 2) quaternis diebus h. VIII Aristophanis Vespas interpretabitur; 3) binis diebus h. III antiquitates scenicas illustrabit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Lycurgi oratio in Leocratem et Lucreti De Rerum Natura libri II—V tractabuntur.

D. Johannes Roeper, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanicen generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VII; 3) de herbis in pratis et silvis nascentibus disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., 1) senis diebus h. III agros metiendi formasque delineandi doctrinam adjunctis exercitationibus practicis tradet; 2) culturam plantarum agrestium, demonstrationibus illustrandam quater p. h. docebit h. X.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Euripidis Medeam bis p. h., 2) Callimachi hymnos bis p. h. interpretabitur; 3) item binis diebus Plinii epistolas explicabit. Privatissime quater p. h. de Topographia Graeciae veteris, duce Pausania, disseret.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., publice docebit trigonometriam bis p. h.; privatim 1) de calculo integrali disseret ter p. h.; 2) physices experimentalis partem alteram (physicen generalem, acusticen, opticen) tradet quinquies p. h.; 3) geologiam quater p. h.; 4) geodaesiam elementarem bis p. h. horis definiendis.

D. Franciscus Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, 1) chemiam universalem docebit et experimentis illustrabit, quotidie h. X—XI; 2) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Martis et Veneris h. III—VII; 3) privatissime agronomiam docebit.

D. Erwinus Nasse, P. P. O., 1) de exitibus et redditibus publicis quinquies h. X, 2) de arte publicae securitatis salutisque tuendae disseret, quinis horis h. IX.

D. Carolus Bartsch, P. P. O., privatim 1) grammaticam theodiscam quaternis per hebd. scholis docebit; 2) historiam literarum provincialium (Provenzalisch) bis p. h. enarrabit. Publice 3) Seminarii philologici germanici exercitationes moderari perget.

D. Georgius Voigt, P. P. O., publice 1) historiam saeculorum XVI et XVII enarrabit; 2) Macchiavelli historiam Florentinam interpretabitur.

D. Fridericus Francke, P. P. E., 1) publice quaternis p. h. diebus anthropologiam psychicam praecipiet; privatim 2) senis diebus metaphysicam explicabit; 3) quaternis diebus historiam philosophiae recentioris inde ab aera christiana usque ad nostra tempora, sive a Paulo apostolo usque ad Kantium et qui sequuntur enarrabit.

D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim 1) quaternis diebus h. III—IV Ciceronis de oratore libros interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV—V Sophoclis Oedipum Coloneum explicabit; 3) binis diebus h. III—IV de syntaxi linguae Latinae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. Eduardus Schmidt, P. P. E., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Carolus Weinholtz privatim 1) Organoidealismi quem appellat principia et fines, comparatis doctrinis philosophorum novissimorum, docebit; 2) de logica antiqua, nova et novissima disseret comparato libro suo: *Die Wissenschaftswege* (Hofstod, 1840. 43).

D. Julius Robert 1) privatim de lingua Gallica scholas practicas habebit quater p. h.; 2) privatim bis p. h. de grammatica linguae francogallicae disseret; 3) gratis historiam litterarum francogallicarum novissimam inde ab anno 1848 docebit.

D. Ferdinandus de Roda in Seminarii sodalitia cantum liturgicum publice docebit.

Bibliotheca extra serias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis, tum etiam quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Carolus Bergmann, M. D.

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi, Th. D.**

Juris consultorum **Georgius Wetzell, J. U. D.**

Medicorum **Gustavus Veit, M. D.**

Philosophorum **Franciscus Schulze, Ph. D.**